

non tam facilitate quam necessitate, citra ullum ex effectu ad causam discursum, propositionibus de DEO veris assertitur. Rom. I. 19. 20. II. 14. 15.

*VI.* Vox: יהוה, ratione originationis suæ, à DEO ipso expositæ, Ex. III. 14. essentialem DEI conceptum, qui est à se esse, seu independentiam exprimit.

*VII.* Dantur Athei speculativè tales.

*VIII.* Nemo hominum naturam suam ita exuere potest, quin aliquando stimulis de Divinâ existentia compungatur.

*IX.* Per justitiam sibi essentialem DEum non posse peccata sine præstitâ sibi satisfactione dimittere, idque naturam ipsam docere, evidenter Paulus demonstrat, Rom. I. 32.

*X.* Verius est illud Augustini, inque natura ipsâ fundamentum: quo plus DEum cognoscimus, eò plus amamus; quam illud Fanaticorum: quo plus DEum amamus, plus cognoscimus.

*XI.* Attributa Divina de DEO propriissimè dicuntur, ut cunque sint incomprehensibilia.

*XII.* DEum improprie lucem esse, rectè colligitur ex I. Tim. VI. 16.

---

*Disp. III.*

De

## Personis Divinis.

I.

**P**ersona est suppositum intelligens; quæ est definitio nec intricata, nec quæ intelligi nequeat. Quin simplex etiam homo, Patrem, Filium, Spiritum audiens, supposita intelligentia concipit, quamquam personæ definitionem ignoret.

*II.* Nil impedit, hoc ipso, ceu naturali suo significato, vocem *προσωπικως* seu personæ accipi, Hebr. I. 3.

*III.* Non potest personæ termino, à tertio usque seculo à totâ Ecclesiâ usurpato, infensus esse, nisi qui ipsi mysterio Patris, Filii & Spiritus S. sit infensus, idque cum Socinianis ex Ecclesiâ eliminatum cupiat.

B. 2

IV. Per-